



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 362. An debitor ex teneatur solvere usuras lucratorias promissas, vel pactas, repeteeque solutas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

## CAPUT III.

## De Obligatione solvendi Usuras, de Dominio &amp; Restitutione earum, nec non de Poenis &amp; Judice earum.

*Quaest. 362. An debitor ex mutuo teneatur solvere usuras lucratorias promissas, vel pactas, repetereque solutas?*

**R** Esp. Ad primum: Usuras veras, lucratorias ex mutuo solvere non tenetur debitor, seu mutuarius, etiam si eas solvere promiserit simpliciter, secus, si se ad eas solvendas obligaverit sub juramento, ut habet communis & certa; juxta *c. debitores, de jurejur.* quamvis ante juramento se ad hoc obligaverit, adeoque ad eas solvendas teneatur, nisi creditor juramentum remittat, potest tamen creditor adigi ad juramentum, & consequenter ad usurarum solutionem remittendum. Reiffenst. *b. 1. n. 161.* & 162. Dixi: *Usuras veras lucratorias*; quia ad usuras compensatorias & moratorias, seu punitorias solvendas, etiam citra juramentum desuper praestitum tenetur in utroque foro, uti etiam illas, quae aliquo justo titulo verae & proprie tales usurae non sunt. Reiffenst. *n. 165.*

2. Resp. Ad secundum: Casu quo forte debitor vi juramenti solveret usuras, poterit eas in judicio repetere, potestque ad eas restituendas creditor compelli. *c. 1. de jurejur. cu. c. debitores.*

*Quaest. 363. Num usurarius acquirat dominium rerum, quas per veram usuram accepit?*

**R** Esp. Si acceptum per usuram consistens in pecunia, frumento, vino, oleo, aliave re fruibili, creditor usurarius cum aliis ejusdem rationis rebus suis commiscuerit, ut discerni amplius nequeant, dominium earum acquirat, non secus, ac fur rerum furtivarum cum rebus suis propriis confusarum, manente tamen eodem obligato ad idem in aequivalente restituendum; ita TT. & JC. plerique juxta *§. si duorum, Inst. de rer. division.* & *L. si alius, ff. de solution.* si vero res usurariae inconfusa remanserint illarum dominium nequaquam acquirat. D. Thom. *2. 2. q. 78. a. 3. ad. 3.* Sylv. *v. usura, 6. q. 1.* Covar. *L. 3. var. c. 3. n. 6.* Laym. *L. 3. tr. 4. c. 16. n. 7.* Less. *L. 2. de just. c. 20. n. 158.* Mol. *tr. 2. de 7. & 7. d. 326. n. 7.* Reiffenst. *b. 1. n. 167.* cum communiore contra Gl. *in can. si quis usuram, 14. q. 4.* Palud. *in 4. dist. 15. q. 1. a. 5.* & quosdam veteres, quos securus est de Lugo *Tom. 2. de 7. & 7. d. 25. num. 208.* censentes earum rerum dominium, etsi debile, quia restitutioni obnoxium, acquiri, hac ratione ducti: tum quod usuras solvens, in hanc translationem dominii consentiat, tum quod consensu cum traditione conjuncto dominia rerum transferantur. *§. per traditionem, Inst. de rer. division.* & *L. traditionibus, c. de pactis.* Rationes vero pro opposita sententia sunt: quod ad acquirendum & transferendum rei dominium non sufficiat sola traditio facta a domino rei, sed requiritur praecedens venditio, vel alia iusta causa, vel titulus. *L. nunquam, ff. de acquir. rer. domin.* neque adjuncta traditioni mutua-

tarii voluntas, cum non censeatur, rem usurariam donare, aut etiam plus juris in mutuam velle transferre, quam quod ei facto mutuo ex justitia verè debetur, nihil autem ei ratione mutui absolute debetur, multoque minus ex justitia. Adde, quod signum sufficiens non acquisiti dominii sit obligatio absoluta restituendi, usurarius autem, non secus ac fur & raptor rem furto, aut raptu ablaram restituere tenetur, ut paulò post ex professo probabitur; quin & si res usuraria sit frugifera, tenetur una cum illa restituere fructus ex ea perceptos, qui aliàs ad dominum rei spectant. Nihilominus rei pecunià aliave re usuraria comparatae usurarius verum acquirat dominium, juxta clarum textum *L. si aliena, c. si quis alteri, vel sibi,* quia res per pecuniam usurariam comparatae non sunt fructus pecuniae, utpote ex se steriles, sed fructus industriae applicantis pecuniam usurariam, non secus, ac propterea depositarius, fur, uxor ex re deposita, furtiva ad filium defuncti pertinent sibi, non aliis, acquirat. *L. si ex ea, C. de R. V. L. qui Vas. §. 7. ff. de furtis. L. 1. C. si quis alteri, non sibi.* Atque ita usurarius non refert lucrum ex ipsa usura. Notandum quoque hic, quod, si res usuraria sit fructifera, fructuum ex ea perceptorum dominium usurarius non acquirat, cum hi spectent ad dominum, qualis non est mutuans, sed mutuarius. *§. si quis a domino, Inst. de rer. divis.* si vero rem usurariam vendat, licet dominium in emptorem non transferat. *L. ex empto, ff. de act. empti.* cum enim illud non haberit, in alium transferre non potest; sed id manet penes ejus dominum, nempe dantem usuras, qui ubicunque illam invenerit, potest illud rei vindicatione repetere, evadit tamen usurarius venditor dominus pretii pro ea dati ab emptore, si hic est dominus pretii, & consequenter etiam evadit dominus rerum, quas pro illo pretio comparavit; cum rei usurariae pretium non sit usurarium, ut nec pretium rei furtivae furtivum. Wiestn. *h. t. n. 96.* citatis Azor. *p. 3. L. 5. c. 12.* Mol. *l. c. d. 327. n. 7.* qui postremus rectè monet, venditorem illum usurarium hoc casu teneri emptori de evictione, & omnibus damnis ex evictione secutis.

*Quaest. 364. Num usurae reales re ipsa datae sint restituendae?*

**R** Esp. Certum esse usurarium, qui eas recepit, siue sit Clericus, siue Laicus, teneri in utroque foro eas restituere, prout ex *c. 1. & 2. h. t.* quia ab eo decinentur tanquam res non suae; limitanda tamen responsio ita, ut ad quos aliàs spectat haec obligatio, restituere non teneantur, si sint notorie pauperes; & ad restituendum impotentes, donec ad pinguiorem fortunam revertantur. *c. cum hi, h. t.*

*Quaest. 365. Num usura mentalis obnoxia restitutioni?*

**R** Esp. Primò: Usura mentalis (cujus nomine hic non venit nudum propositum usuram recipiendi & exigendi, sed actus exterior, quo datur mutuum cum animo seu intentione recipiendi lucrum,